



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

229. An teneatur Superior admittere postulationem de ceterò idonei factam legitimè, hoc est, vel unanimiter, vel à duabus partibus capituli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

ze ad hoc, ut legitime ab eo admitti possit postulatione, nempe potestatem dispensandi in impedimento, propter quod postulatus eligi non poterat, & jus confirmandi alias electum ad illam dignitatem, quorum duorum requisitorum primum non statim infert secundum; separari enim possunt ab invicem, & potestas in eo defectu dispensandi in esse v. g. Episcopo, jus verò confirmandi electum ad illam prælaturam hic & nunc ex privilegio aut consuetudine præscripta spectare ad alium inferiorem prælatum: quare minus rectè pronunciare videtur Pass. loc. cit. & cum eo Azor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 5. unicam hanc servandam in hoc regulam, ut nimirum postulatione fiat ad Superiorem, qui potest dispensare, & auferre inhabilitatem, propter quam quis est ineligibleis ad prælaturam.

*Questio 229. An teneatur superior admittere postulationem de cetero idonei factam legitime, hoc est, vel unanimiter, vel à duobus partibus capituli?*

**R**espondeo primò: non teneri illum vi præcisè postulationis ex iustitia propriè tali, Laym. in c. bonæ. 3. h. r. n. 6. Tond. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. num. 5. Pass. cit. c. 24. num. 47. Pirh. loc. cit. n. 15. citans Hof. in sum. h. r. n. 12. n. 11. Contra Abb. in c. 5. hoc rit. n. 2. Jo. And. in c. cum monasterium. de elect. num. 7. quibuscum sentire videtur Lott. l. 3. q. 17. n. 234. junctio. n. 235. 237. & 238. ubi fateri tamen oportet, postulationem non usquequaque posse rejici citra injuriam postulari, & ipsius Ecclesiæ, ut gl. in c. bonæ. 3. h. r. v. in tanta. Roman. cons. 330. n. 20. quin &, si fiat postulatione ab ipso Papa, non reputatur materia simpliciter gratiosa, ut non magis dicatur justa & æqua, hæcque ipsa ratione debita, ut Burfat. in cit. c. bonæ. n. 46. maxime, si esset unanimiter celebrata, &c. Responso nostra sumitur ex c. postulationem. h. r. & c. bonæ. 3. h. r. ubi ait Papa: cum sedes apostolica, etiam quando aliquis unanimiter postulat, ad admittendam postulationem eorum, non tam ex iustitia, quam ex gratia moveatur: nullum enim per postulationem etiam talem unanimiter, & in concordia factam, & præsentatam acquiritur jus postulantis, aut postulato, vel etiam Ecclesiæ; adeoque sine injuria horum rejici potest postulatione. Laym. Pirh. Pass. loc. cit. contra Abb. Jo. And. l. cit. Antonin. p. 3. r. 19. c. 3. §. 1. Sylv. v. postulatione. n. 2. & 7. Tabien. v. eod. n. 4. Castel. de elect. c. 2. n. 3. Barbof. in cit. c. bonæ. n. 1. apud Pass. cit. n. 46. Sed admissio rota innititur gratiæ, utpote gratiam dispensationis continens; dispensare siquidem in impedimento vel defectu, etiam dum adest ratio sufficiens, imò urgens, non est debitum propriè iustitiæ; cum in iure inhabilis ad rem aliquam non habeat jus exigendi illam tantquam sibi debitam. Laym. Pirh. loc. cit. neque cogitur superior ad dispensandum in lege sua, seu ad relaxandum jus ex multitudine petentium, vel etiam ex honestate petitionis, cum aliàs dispensatio Superiori non foret libera, sed necessaria, supposita honestate petitionis contra illud: nemo invitus de suo cogitur facere beneficium. c. precaria. 10. q. 2. & illud: quidquid iudicis potestati permittitur, juris necessitati non subjicitur. l. non quidquid. ff. de iudic. Pass. loc. cit. n. 47. & 48. citans præter plures alios. Suar. de LL. l. 6. c. 18. n. 20. Sanch. de matrim. d. 10. n. 3. Barbof. ad c. postulationem. de clericis excom. n. 28.

2. Respondeo secundò: videtur tamen Superior teneri postulationem talem factam ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ admittere ex debito aliquo iustitiæ legalis, & ex officio suo, quatenus vi

officii sui tenetur utilitati boni communis consulere, vel etiam quandoque ex debito charitatis, alteriusve virtutis, non secus ac extra postulationem ex his virtutibus tenetur dispensare in votis, irregularitatibus, impedimentis matrimonii, &c. si urgens causa est, præsertim publicæ honestatis vel utilitatis. Laym. loc. cit. & in qq. canon. q. 8. de elect. Pirh. cit. n. 16. Pass. n. 48. nam &, ut ibid. Pass. actus misericordiae & liberalitatis quandoque necessarius est. Censebitur nihilominus ex tunc adhuc admissio talis postulationis gratia generalis, id est talis, qualem Superior communiter ratione officii facere solet. Pirh. loc. cit. ex Abb. & Imol.

3. Respondeo tertio: quin etiam prælatus inferior habens potestatem dispensandi in defectu postulationis, usque admittendi postulationem, eam in concordia, vel à duobus partibus Capituli ex justa causa factam, nolit admittere, cogi potest à Superiore ad eam admittendam. Laym. loc. cit. n. 7. citans gl. in c. bonæ. 3. h. r. v. gratia. Pirh. cit. n. 16. Lott. l. 3. q. 17. num. 236. Unde etiam, licet postulantibus, aut postulato non competat actio, seu jus actionis contra Superiorem, ut is admittat postulationem. Pass. n. 50. citans gl. in cit. c. bonæ. v. gratia. Bald. in c. scriptum. de elect. n. 4. Sylv. v. postulatione. n. 7. possunt nihilominus implorare superioris prælati officium, ut is recusantem admittere talem postulationem, ad hoc compellat; cum juxta c. 1. de offic. iudic. detur hoc remedium implorandi officii iudicis, quando actio propriè dicta deficit. Laym. Pirh. Pass. l. cit.

*Questio 230. Qualiter ad admissionem postulationis procedere possit ac debeat Superior, & quæ forma uti in ea, vel etiam reiectione postulationis?*

**R**espondeo ad primum: admittere non debet postulationem, nisi facta inquisitione de conditionibus & moribus postulari: necesse tamen non est, ut ea inquisitio fiat judicialiter, cum non fiat ad puniendum, sed solum ad informationem Superioris. Pass. cit. c. 24. num. 53. verum de hac inquisitione pluribus infra, ubi de confirmatione electionis.

2. Respondeo ad secundum: de cetero forma certa præscripta in iure non est, quæ uti debeat Superior in admissione postulationis, de quo vide loc. cit. dicere tamen poterit: providemus Ecclesiæ vestræ de tali persona, prout postulastis: vel melius: postulationem vestram admittimus: nequaquam autem dicere potest: confirmamus postulationem vestram. Pass. n. 52. ex Abb. in c. gratum. h. r. n. 23. Pari modo non est certa forma reiectionis postulationis, uti nec cassationis electionis; quin &, ut Lott. l. 3. q. 17. n. 260. cum gl. in c. 2. h. r. v. cassatum, eo ipso censetur cassata & rejecta postulatione, quod non est admissa: ubi autem repellitur postulatione, mox evanescit omnis illius effectus, ut idem Lott. n. 261. citato Gonz. ad reg. 8. cancell. gl. 15. n. 56.

*Questio 231. An, & qualiter postulatus administrare possit Prælaturam, antequam ejus postulatione admittatur?*

**R**espondeo: nequaquam ullatenus administrare potest ante admissam postulationem: & si id attenter, postulatione redditur ipso iure nulla. Pass. n. 54. Lott. loc. cit. n. 301. Tond. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. n. 5. vide de hoc plura inferius, ubi, qualiter electus administrare possit ante electionis confirmationem.